

www.e-rara.ch

Geographia universalis

Münster, Sebastian

Basileae, 1540

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 112,2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-97516>

Schonlandia.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SCHONLANDIA

Hanc alij uocant, Schondaniam, id est, amoenā Daniam, quam Plinius Scandiam, & aliquando Scandinauiam appellauit. Vocatur autem sic ob portuum & emporiorum commoditatem, ob maritimas opes, lacuum & fluminū piscationes, nobilium ferarū uenationes, auri, argenti, plumbi, cupri & aris inexhaustas uenas, atq; oppidorum frequentiam. Diuiditur autē in multa regna & prouincias. Nam præter Daniam, quæ habet Cimbriam seu Iuthiam, Selandiā, Fioniam & alias plurimas insulas, continet quoq; hæc tria regna, Norduegiā, Sueciam & Gothiam: item Laponiam, Gronlandiam, Finlandiā & Islandiam. Sonat autem Gronlandia uiuentem terram, ob insignem scilicet prouentum pabuli, quod in ea regione inuenitur. Islandia uero sonat glaciale terram, & hæc ueteribus est Thyle, pro maiori sui parte mōtosa & inculta. Qua parte est plana, præstat plurimum pabulo tam læto, ut pecus depellatur à pascuis, ne ab aruina suffocetur. Habet rupem & promontorium, quod æstuat perpetuis ignibus instar Aetnæ, putaturq; à uulgaribus carcer esse sordidarū animarum. Ciuitates episcopales in ea sunt, Holen & Skalhøten. Hetlandia maxima Orchadū insularum, habet episcopalem ciuitatem Orchadam. Laponia dicta est à populo quo habitatur. Vocāt autem Germani Laponēs & Lappen, qui parum idonea rei præsentis dicūt & faciunt, quos Latini ineptos uocant. Hi domos nō habent, sed tabernacula quasi castrensia. Ferarū maxima copia est in ea regione. Agrū non colunt, sed pisces capiunt plurima copia, edomantq; in farinam. Cōmercia permutatione & pecunia agunt, mutuo consensu tantū, & nullo sermone communicato, quia habent linguam peculiarem & ignotam uicinis. Gens ualidissima est & diu libera fuit & arma sustinuit Norduegiæ Sueciq; donec concessit tandem sub imperium & tributum pendit, præciosas ferarū pelles. Norduegia sonat uiam septentrionalem. Et fuit hoc regnum aliquandiu florens, hodie uero est sub potestate Danorū. Hæc mittit in Europam piscem ex genere Asellorum, frigore induratum & extentum in fustem, quem Germani Stockfisch uocant. Captura eius laudatissima est Ianuario, quando superest frigus ut induretur, & qui clementioribus mensibus fuerint capti, marcescunt, neq; sunt idonei ut exportentur. Littus Norduegiæ à castro Vuardhus usq; ad insulam Fosen totum est infestum uerno tempore balenis uastæ magnitudinis, adeo quod ad centum perueniunt cubitos. Hæc tunc gregatim conueniunt ad prolificandum. Et naues quæ uel in earum corpora, uel in uortices aquarum, quos hæ faciūt instar carybdidis agitatione sua, delatæ fuerint, periclitantur. Secernitur Norduegia uerus orientem à Suecia asperrimis & altissimis perpetuoq; niuosis mōtibus, qui nullum transitum admittunt in Sueciam. Sueciæ regnum diues est argenti, eris, plumbi, ferri, & chalybis, pecoris & prouentu immenso piscium. Huius regni regia est Stockholm, quam nostri Holm uocant, Suecorum præcipua urbs & emporium, munita natura & arte, & sita in paludibus instar Venetiarū. Habet & alias plurimas urbes multosq; ducatus. Gothia sonat bonum, hinc Gotlandia, bona terra. Habet autē Gothia plurimas insignes urbes, ut sunt Lincopia, Malmogia, Sudercopia, Calmar, in qua aiunt arcem esse haud inferiorem arce Mediolanensi. Diuiditur quoq; Gothia in Ostrogothiā & Westrogothiā. Finlandia interpretatur pulchram terram. Hæc Scythiæ occurfat, & extra totū Tannaim longe procurrat in Asiæ fines. Habuit superiori ætate dominū Moschum, hoc uero tempore sub rege Sueciæ existit. Utuntur habitatores eius lingua distincta à Danis & Suecis, nempe lingua Vuandalorum, qua & Poloni atque Russi utuntur.

SCHONLANDIA XIII NOVA TABVLA

DANIA habet nomen illud à rege quodam Dano uocato, complectiturq; Cimbricam Chersonesum siue Iutiam, quam uulgo Dietmarsen uocant, Fyonem, Selandiam, quã alij Sialandiam appellant, & multas alias insulas. Anno Christi 1398. subegit rex Dania imperio suo regnũ Suecorum, & regnum Norduegie. Ciuitates insigniores Cimbricæ sunt Slesuic, ubi aliquando fuit ducatus, Ripen sedes episcopalis, Vibergia, Harrisia, uulgo Oors & Horsnesch. In Fyone, Ottonia uulgo Othonß, Melphort, Nuenborg, Schwinborg. Habet autem hæc insula situm inter Cimbricam & Selandiam.

Selandiæ urbes præcipuæ.
Roschilt, episcopalis: Schlauolß, Hafnia, quæ uulgo Koppenhagen & Kopmanhafen, id est, mercatorũ portus uocatur. Ibi est regia sedes & studium uniuersale. In Norduegia, Nidrosia, uulgo Druntheim, & est metropolis omnium ecclesiarum Norduegiæ, Islandiæ & Gronlandiæ. Habet & has ciuitates episcopales Bergin, Staffanger, Asloiam & Hamariam. In Suecia, Stockholm regia, Vpsalia episcopalis, & studio uniuersali decorata. Nicopia, uulgo Nicopinck, Vastenum, uulgo watzstein & wasteen &c. In Gothia, wardburg, Malmogia, portus & emporium, Calmaria urbs magna, Suedercopia emporium & portus &c.



